



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

4. Igne consumpti, qui tres pueros igni perdere voluerunt.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45699

innocentem absoluerunt, calumniatorem autem patibulo suo reddiderunt. Qui proinde, iuxta prouerbium, suo ipsius laqueo captus, in ea ipsa cruce, quam alteri parauerat, bis pependit, quia sapius meruit.

IV.

Dan. 3. 92.

Nunc & in igne videamus iustitiam talionis. Neque enim tacendum est, quod Daniel memorat, tribus pueris accidisse, qui ipsi illæsi ambulantes in medio ignis spectandi spectauerunt eos, extra fornacem, ardentem, à quibus iniecti fuerant. *Et non cessabant*, ait Propheta, *qui miserant eos, ministri regis succendere fornacem, naphtha, & stappa, & pice, & malleolis, & effundebatur flamma super fornacem cubitis quadraginta nouem: & erupit, & incendit, quos reperit iuxta fornacem de Chaldeis.* Quid illi? nonne ignem sibi met ipsis incenderunt? & senserunt ignem, extra elibanum, quem serui Dei in furnum calidum conditi non senserunt, suauissima aura recreati? Nimirum sæpe illud ipsum malum, quod alijs homines machinantur, incurrunt; atque ijs, quibus machinantur illud, in refrigerium commutatur, ut illis tantò ægrius sit, si videant, se non solum, id quod voluerunt, non effecisse, sed etiam technam se suam in se ipsos struxisse. Itaque tres pueros, immò tres viros illos, flamma illustrauit, Chaldeos supplicij authores deuorauit.

V.

Ex 2. p. Chron.
nic. Francisc.
lib. 8. c. 28. §
1 Catechismi
Granat. lib. 2.
c. 27. §. 10.

Haud absimile quiddam scribitur in vita S. Elisabethæ reginæ Lusitanæ. Habebat ea regina, inter ephebos, puerum insignem, omnibus naturæ & gratiæ donis ornatum. Nam & forma erat præstans, & ingenio vigeat, & splendebat virtutibus; præsertim pietate, ac fidelitate. Sed ò quàm periculosum est, in aula eminere! Illæ ipsæ dotes, quæ puerum reddebant amabilem, inuidiæ eum obiecerunt. Erat inter eosdem ephebos alius perditissimis moribus puer, qui non poterat pati, quòd regina alterum, præ se, præque ceteris æstimaret, & verò etiam per illum tantas (quas solebat in pauperes expendere) elemosynas dispensaret. Maluisset enim ipse esse quæstor, diribitorque, ut nummos, pro lusibus clependi haberet occasionem. Cogitauit igitur diu, quomodo eum modo amoliri posset, ipseque in officium eius succedere. Haud utilius ei consilium incidit, quàm ut apud regem eum illis titulis accusaret, qui ob gratiam, quam apud reginam habebat, maximè pro-